

dixerint fratres ipsum versum, debent etiam subjungere: Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, et reliqua. Deinde cum hoc dixerint, tunc debet ille novitius ponere genua in terram et salutare omnes fratres volvendo se in gyro, ut omnes orent pro eo. Deinde cum salutaverit omnes fratres, sicut dixi, tunc debet se ipse novitius prosternere et prostratus jacere ante altare in terra, et omnes fratres debent ponere genua in terra, et sic genibus flexis cantare pro illo quinque psalmos ad illud opus pertinentes, i. e.: *Levavi oculos meos in montes; Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis; Nisi quia Dominus erat in nobis, et De profundis* atque *Miserere mei Deus* cum Gloria. Omnes debent cantare et tribus vicibus dicere Kyrie eleyson. Deinde cantatis his quinque psalmis, tunc debet aut abbas, aut si non vult abbas, tunc presbyter debet dicere *Pater noster*, deinde: *Et ne nos inducas in tentationem*, atque capitula debet dicere ad ipsum opus<sup>1)</sup> pertinentia, i. e. *Salvum fac servum tuum; Convertere, Domine, usque quo; Dominus custodiat te ab omni malo; Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in saeculum; Dominus vobiscum* et orationem ad ipsum opus pertinentem. Deinde cum haec omnia fuerint facta, tunc debent se erigere omnes atque novitius, et erecto novitio tunc debet abbas induere caput novitii cum melota, et post haec debet ille novitius omnes fratres osculari et usque tertium diem coopertum caput habere. In die tertio debet offerre<sup>2)</sup> et communicare, et sic abbas debet caput novitii discooperire ante altare.

*Cap. LIX.*

DE FILIIS NOBILIIUM VEL PAUPERUM, QUI  
OFFERUNTUR.

Perseverat adhuc B. Benedictus in expositione sua. Jam quia coepit dicere de ordine novitiorum et dixit de

<sup>1)</sup> ad ipsum versum. Cod. Divion. ex Marten.

<sup>2)</sup> auferre. Cod. Divion. ex Marten.